CONCILIA GENERALIA,

ET

PROVINCIALIA, GRÆCA ET LATINA QVÆCVNQVE REPERIRI POTVERVNT;

ITEM EPISTOLÆ DECRETALES, Et Romanor. Pontific. Vitæ.

OMNIA STVDIO ET INDVSTRIA

REVER. D. SEVERINI BINII, SS. THEOLOgiæ Doctoris & Profeſſoris, Metrop. Eccleſ. Colon. Canonici, & Presbyteri C.

Ex Manuſcriptis, aliiſq; emendatioribus Codicibus nunc ſecundò aucta, eorundemq; collatione recognita, Notis vtiliſsimis illuſtrata, hiſtorica methodo diſpoſita, & in Tomos quatuor diſtributa.

TOMI PRIMI

PARS II.

Bibliothecæ Collegii Regalis Salmanticensis Societatis Iesu.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Sumptibus Ioannis Gymnici, ſub Monocerote.

Anno M. DC. XVIII.

Cum Gratia & Priuilegio Sacr. Cæſar. Maieſtat.



HISTORIA CONCILII EPHESINI.

SVCCESSERAT in a Conſtantinopolitana ſede Nectario ſanctus Ioannes Chryſoſtomus, Chryſoſtomo Arſacius Nectarij frater, Arſacio Atticus, Attico Siſinnius. Poſt cuius obitum Theodoſius iunior Auguſtus, Theodoſij ſenioris nepos, & Arcadij filius, aduerſis pugnantium ciuium ſtudiis offenſus, non ex Conſtantinopolitana, ſed ex Antiochena Eccleſia adſciſcendum Epiſcopum putauit, Neſtorium b nomine, Germaniciæ natum, dicendi quidem facultate præditum, a forenſi c tamen ſtrepitu alienum: qui plebeia veſtitus vilitate, inceſſus ac ſupercilij grauitate, oris pallore ac macie cum continentia, pietatis ac veteris diſciplinæ mentiretur imaginem, magno omnium conſenſu Conſtantinopolim accerſitus, iij. Idus Aprilis, Felice & Tauro Coſſ. Epiſcopus initiatus eſt. Duxerat ſecum Antiochia d Anaſtaſium presbyterum, fidiſſimum comitem, quo admodum familiariter vtebatur. Is presbyter cum aliquando verba faceret ad populum, in tantum ſcelus erupit, vt beatam Mariam Θεοτόκον, hoc eſt, Deiparam vocandam eſſe impudentiſſime negauerit, propterea quod ab homine Deus naſci non poſſet. Excitauit impia vox magnos populi tumultus ac turbas. Neſtorius autem ſuum presbyterum tantæ ſeditionis auctorem, diro alioquin anathemate & vltimo digna ſupplicio, aduocata concione magnifice collaudauit: vtq; ſacrilegia ſacrilegijs obfirmaret, ſublato Deiparæ nomine, Chriſtum Dominum e in duas diſtraxit hypoſtaſes ac perſonas, in eoque aſſeruit ſicut naturas duas, ita & filios duos, & Chriſtos duos, vnum quidem Deum ex Patre Deo, hominem alterum ex matre; quam idcirco non Theotocon, ſed Chriſtotocon appellabat.

Sed & Dorotheus f quidam Epiſcopus ſpe ſordidi quæſtus religionem prodidit. Nam in Eccleſia coram Neſtorio ſacris operante, cum in editiorem cathedram irrupiſſet, ex ea repente omnibus qui Deiparæ vocem vſurparent anathemæ conclamauit. Facinus g comprobat Neſtorius, impiumque impiis ſacrorum myſteriorum communione dignatur. Attollitur continuo irati populi clamor ac fremitus aduerſus Epiſcopum h, obſtrepitur docenti, diſcurritur per vrbem magno tumultu; ab nefarij hominis conſortio ſeceſſio fit non modo plebis & ſenatus, ſed monachorum quoque, & eorum qui Archimandritæ dicebantur; maſſis denique vocibus i inclamatur per vicos, eſſe quidem in vrbe regiam, Epiſcopum non eſſe. Quas ob cauſas ira ac metu furere Neſtorius, rapere quot poſſet ad iudicum tribunalia, clericos k recte ſentientes ab aris ac foco auellere, verberibus, vinculis, calcibus l Archimandritas. Vulgantur m interea per Orientem deſcriptæ Neſtorij conciones, ſanie ac veneno diffluentes: fremunt aduerſus eas orthodoxæ plebes & Antiſtites. Cyrillus n in primis Alexandrinus Epiſcopus, vir omni ſapientiæ & ſanctitatis exemplo clariſſimus, quem difficillimo ſane tempore Deus & Apoſtolicæ fidei propugnatorem, & Neſtorij antagoniſtam acerrimum comparat. Is primum Aegypti o monachos per litteras de Neſtorio docuit, eiusque deteſtabilem vecordiam, prout par erat, detexit: deinde cum Neſtorianum malum magis ac magis inualeſceret, pullulantem hæreſim doctiſſime confutauit libris tribus ad Theodoſium & ad Reginas, hoc eſt, Pulcheriam & Eudociam miſſis: tametſi ſecus quam oportuit, eam rem interpretatus Imperator, ſuadente Neſtorio, illum acerbioribus quã decuit litteris perſtrinxerat. Dedit & alias alias eodem argumento epiſtolas Cyrillus, quæ piorum hominũ ſtudio cum ad Neſtorium perlatæ fuiſſent, is grauiter offenſus ſanctiſſimi viri exiſtimationem cœpit criminationibus ac probris atrociſſimis violare. Illum contra Cyrillus crebrioribus litteris ad ſaniorem mentem hortari; & quam longe ab Apoſtolicis traditionibus receſſiſſet, edocere. Calcitrabat contra ſtimulum Neſtorius, & hortatorem ſuum quaſi inſolentem & indoctum frequentibus per epiſtolas conuiciis impetebat. Verum nec Conſtantinopolitani Imperij finibus contentus homo nequiſſimus, Romanorum etiam aures auſus eſt pertentare. Miſit itaque per Antiochum virum illuſtrem Cæleſtino Romano Epiſcopo impias quas Conſtantinopoli habuerat conciones. Cyrillus quoque ſuas ad Neſtoriũ, & Neſtorij ad ipſum vltro citroq; datas litteras per Poſſidoniũ Alexandrinæ Eccleſiæ diaconum eidem Cæleſtino miſit. Qui ſtatim coacta Roma multorum p Epiſcoporum Synodo, cũ nefarij hominis mentem ſenſumque ſolerter inſpexiſſet, ſacro approbante Concilio q exitialem hæreſim damnat. Deinde ſeueriſſimas exſecrationes, & Epiſcopalis abrogationẽ honoris denuntiat Neſtorio, niſi intra decem dies conſceleratam, quam tenuerat, ſectam publicis teſtificationibus eiuraret: reſtituitque in priſtinum gradum quos ille vel ab

a Socrat. lib. 6. c. 17. & 18. lib. 7. c. 20. & 25.
b Socrat. lib. 7. c. 29. Liberat. in Breuiar. cap. 4.
c Theodoret. de Shil. [illegible]
d Socrat. lib. 7. c. 32. & Liberat. cap. 4.
e Socrat. & Liberat. vbi ſup.
f Vincen. Lirinenſ. c. 17.
g Par. 1. c. 10. & 14.
h Par. 1. c. 10.
i Par. 1. cap. 14.
k Par. 1. c. 25.
l Par. 1. c. 14.
m Par. 1. c. [illegible]
n Par. 1. c. 14.
o Proſper [illegible] Collat. [illegible]
p Par. 1. c. 14. & 14.
q Par. 1. c. 16.
r Par. 1. c. 11. 18.

Ο ΠΡΩΤΟΣ ΤΟΜΟΣ Ο ΠΕΡΙΕΧΩΝΤΑ ΠΡΟ ΤΗΣ ΣΥΝΟΔΟΥ.

PARS PRIMA CONTINENS EA QVAE SYNODVM ANTECESSERVNT.

HOMILIA PROCLI EPISCOPI CYZICI habita ſedente Neſtorio in magna Eccleſia Conſtantinopolis, in Incarnationem Domini noſtri IESV *Chriſti, quod Deipara ſit beata virgo Maria, & ex ea natus neque Deus tantum, neque purus homo, ſed Emmanuel, inconfuſe & incommutabiliter Deus & homo.*

Cap. I. A VIRGINEA panegyris, frequenſque ac celebris hic conuentus, fratres, feſta hac luce linguam ad laudem prouocat; præſenſque ſolemnitas, præſenti cœtui vtilitatis rationem optimo iure conciliat. continet enim caſtimoniæ ſanctitatiſque materiam, inſtamque fœminei generis gloriationem. neque enim vulgaris muliebri ſexui per virginem, & matrem in tempore acceſſit gloria. Deſiderabilis ſane, planeque inaudita eſt hæc virginis & matris copula. Ecce enim & terra & mare Virginem honorant, & obſequii cauſa tanquam ſatellites ſtipantur; hoc quidem initia nauigantibus dorſa ſubſternens; illa vero viatorum veſtigia inoffenſe dirigens. B Exultet natura; honorantur fœminæ: choros humana ducat natura, & carmina canter; glorificantur virgines. Vbi enim abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia. Sacra Deipara Maria in vnũ nos coëgit. (Rom. 5. d. 20.) Hæc illibatæ virginitatis purus ille theſaurus, decuſq. & ornamentum: hæc ſpiritalis ſecundi Adami paradiſus; hæc vnitarum inter ſe naturarum officina: hæc ſalutaris reconciliationis panegyris: hæc thalamus, in quo Verbum humanam carnem ſibi deſponſauit: C hæc animatus naturæ rubus, quem diuini partus ignis non combuſſit: hæc vere leuis illa nubes, quæ ſuper Cherubim ſedentem in corpore ſuo geſtauit: (Exod. 3. a. Eſai. 19. a. Iudic. 6. g.) hæc vellus mundiſſimum cœleſti pluuia madens, ex quo paſtor ouem induit: hæc ancilla eſt & mater, virgo, & cœlum: hæc ſola pons eſt, per quem Deus ad homines deſcendit: hæc admirandæ illius œconomiæ tela, in qua ineffabili quodam modo admirabilis illius vnionis tunica confecta eſt: cuius quidem textor extitit Spiritus ſanctus; netrix, virtus ex alto obumbrans; (Luc. 1. d. 35.) lana, vetuſta Adami pellis; trama, impolluta Virginis caro; radius textorius, immenſa geſtantis gratia; artifex, Verbũ per auditũ illapſum. D Quis vidit, quis audiuit talia? Incircumſcriptus Deus vterum inhabitat; quem cœli non capiunt, venter complexus eſt Virginis.

Attamen qui ex Virgine naſcitur, nec ſolus Deus eſt, nec purus rurſum homo: idemq; natus, mulierem, quæ peccati quondam ianua extiterat, ſalutis oſtium reddidit. (Gen. 3.) Nam vbi ſerpens per inobedientiam virus ſuum infuderat, ibi Verbum per obedientiam ingreſſum, viuum ſibi templum exædificauit: (Gen. 4.) vnde peccator Cain primus emerſit, inde generis noſtri aſſertor Chriſtus ſine ſemine prodiit. Clemens Deus ex muliere naſci non erubuit, quod enim agebatur, vita erat. Nullũ inde ille contraxit labem, qui intra viſcera, quæ citra omnem dedecoris notã cõdiderat, inhabitat. Quod ſi ea quæ genuit, virgo non permanſit; neque is qui natus eſt, aliud quam purus homo extitit. neque ita partus ille nihil ad-

ΟΜΙΛΙΑ ΠΡΟΚΛΟΥ ΕΠΙΣΚΟΠΟΥ Κυζίκου, λεχθεῖσα καθεζομένου Νεστορίου ἐν τῇ μεγάλῃ ἐκκλησίᾳ Κωνσταντινουπόλεως, εἰς τὴν ἐνανθρώπησιν τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ· ὅτι θεοτόκος ἐστὶν ἡ ἁγία παρθένος Μαρία, καὶ ὅτι ὁ τεχθεὶς οὔτε θεὸς γυμνός, οὔτε ἄνθρωπος ψιλός, ἀλλ' Ἐμμανουὴλ, τουτέστι θεὸς καὶ ἄνθρωπος, ἀσυγχύτως καὶ ἀμεταβλήτως ἐν ἀρχῇ.

A ΠΑΡΘΕΝΙΚΗ πανήγυρις σήμερον τὴν γλῶτταν, ἀδελφοί, πρὸς εὐφημίαν καλεῖ· καὶ ἡ παροῦσα ἑορτὴ τοῖς συνελθοῦσιν ὠφελείας γίνεται πρόξενος· καὶ μάλα εἰκότως. ἁγνείας γὰρ ἔχει ὑπόθεσιν [illegible] B [illegible] C [illegible] D [illegible]